Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36484
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

tua. custodiesque mandata domini et cerimonias eius. quas ego pre
cipio tibi hodie. ut bene sit tibi. En domini dei tui celum est. et celum celi
terra et omnia que in eis sunt. et tamen patribus tuis conglutinatus est
dominus. et amavit eos. elegitque semen eorum post eos. id est vos de cunc
tis gentibus. sicut hodie comprobatur. Circumcidite igitur preputium cordis
vestri. et cervicem vestram ne induretis amplius. quia dominus deus noster ipse
est deus deorum. et dominus dominantium. deus magnus et potens. et terribilis
qui personam non accipit. nec per munera facit iudicium pupillo et vi
due. et dat ei victum atque vestimentum. Et vos ergo amate peregri
nos. quia et ipsi peregrini fuistis et advene in terra egypti. Dominum
deum tuum timebis et ei servies. et ipsi adherebis. iurabisque in no
mine illius. Ipse est laus tua et deus tuus qui fecit tibi hec magnalia
et terribilia que viderunt oculi tui. In septuaginta animabus des
cenderunt patres tui in egyptum. et ecce nunc multiplicavit te dominus
·C·xi· deus tuus sicut astra celi. Ama itaque dominum deum tuum. et observa precep
ta eius et cerimonias. iudicia atque mandata omni tempore. Cog
noscite hodie que ignorant filii vestri qui non viderunt disciplinam
domini dei vestri. magnalia eius et robustam manum. extentumque brachi
um. signa et opera que fecit in medio egypti pharaoni regi
et universe terre eius. omnique exercitui egyptiorum. et equis ac curribus.
quomodo operuerunt eos aque rubri maris cum vos persequerentur. et deleve
rit eos dominus usque in presentem diem. vobisque que fecerit in solitudine.
donec veniretis ad hunc locum. et dathan atque abiron filiis eliab
qui fuit filius ruben. quos aperto ore suo terra obsorbuit cum tabernacu
lis suis et domibus. et universa substantia eorum quam habebant in
medio israhelis. Oculi vestri viderunt omnia opera domini magna que fecit.
ut custodiatis universa mandata illius que ego precipio vobis.
ut possitis introire et possidere terram ad quam ingredimini. mul
toque in ea vivatis tempore. quam sub iuramento pollicitus est dominus
patribus vestris et semini eorum lacte et melle manantem. Terra enim
ad quam ingredieris possidendam non est sicut terra egypti de qua existi.

Rex regum ... secula dominus vobis cum